



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Ivan Conf. 24. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. IVAN CONF. 24. Iunii.

**M**inùs multi à cælo aberrarent, si ducem bonum Angelum suum sequerentur. Securus hunc præeuntem IVAN Regis Dalmatiæ filius, ne salutatis quidem parentibus, anno LVII. supra DCCC. in Bohemiæ silvas venit, & in his speluncam patriæ aulæ antehabuit. Cùm verò locum eum infestum à malis dæmonibus deserere pararet, obvius CHRISTI Prodromus Joannes cedenti animos addidit, & cruce datâ armavit. Hæc itaque signa ubi iterum in hostem vertit, victoriam illi eripuit, & quia maternas delicias aspernatus erat, nutricem DEVS cervam submisit, à cujus lacte, & ambrosiâ cælo depluente satur, facilè ex animo matris ubera delevit. Cæterùm in pias latebras tandem Borivojus Bohemorum Dux devenit, ducem cervam, quam diximus, securus, telo trajectam. Multùm igitur lætus tam felici venatione, hortatu Ludmillæ conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic exofus aulæ, non multò post in spelæum suum iterum concessit, ubi posteaquàm annos II. & XL. egit, tandem lubens aliquando exivit ad aulam, sed cælestem illam, & in quâ nulli magis, quàm silvicolarum istiusmodi mores probantur. *Ex Nicolao Salio.*

*Dole, quia Creatorem offendisti, cujus legem cælestia & terrestria, præter te, indefessâ statione conservant; & in tantâ Republicâ Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoria Majestatis decreta non servas. S. Pet. Dam. serm. de S. And.*

S. GAL.